

ret. Nam cum res in huiusmodi Nomismatibus explicatur, tota prout est historia meo iudicio exscribi debet, ne lectori alterius cupienti noscere, illulisse videamur, cum antiqua lectione nimium oblectentur animi legentium. & si ad calculum, & *μικρολογία* iuxta sententiam Aristotelis lib. Metaphysic. 2. res omnino perducenda non est, quod nonnullis etiam auditoribus molestum est, cum ad minutiora quæque eum, qui doceat, descendere videant.

IVSTINIANI CAES. AVG.

P A X.

*Constantius Lando Comes Octavio Lando Comiti
Patruo magno S. D. P.*



V MISMA tuum argenteum paulò antè apud Montem Clarum, oppidum in Placentinis agris repertum, quod Fabritius filius tuus dulcissimus hodie in hoc mane mihi nomine tuo obtulit, donoque dedit, verti ac reuerti digitis mira quadam animi oblectatione, intendique oculorum omnem aciem, vt notas legerem, quæ circum orbem nummi sunt, & quidem anteriores literæ, vbi imago adparet Iustiniani Cæsaris mihi effigiem præferre videntur. Attamen subdubito aliquantulum, corrosa enim sunt elementa posteriora, hoc est, ea, quæ sequuntur nomen, & quæ illud perficiunt in primo orbe, & id conijcio hac de causa, propterea quod à tergo sunt literæ, quæ facillè legi possunt, cum oleagina corolla, quæ sic à me leguntur, D N. A T H A L A R I C V S R E X. constat enim ex magni Aurelij Cæsari epistola, quæ est libro Variarum octauo prima. Athalaricum Iustiniano Imperatori de pace scripsisse, quam contraxit ille cum Iustiniano, vbi legere est illum Iustiniano valde amicum fuisse, & in tenera ætate constitutum, imò videtur etiam proximum sanguine fuisse ipsius Iustiniani, hoc est, nepotem. Sed vt rem propius ac apertius cognoscas, hinc verba nonnulla eius, quæ sunt in prædicta epistola Cæsari subijciam. Vos auum nostrum in vestra ciuitate celsis curulibus extulistis. vos genitorem meum in Italia Palmatæ claritate decorastis, desiderio quoque concordia factus est per arma filius, quia nobis penè videbatur æquæuus, hoc nomen adolescenti congruentius dabitur, qualia nostris senioribus præstitistis, in parentelæ locum nostrum iam transire debet affectus. Nam ex filio vestro genitus naturæ legibus vobis non habetur extraneus. Atque ideo pacem non longinquus, sed proximus peto, quia tunc mihi dedistis

S gra